Imprimatur,

Jo. Battely. R^mo. Pri. ac D^no, D^no. *Wilhelmo* Archiep. *Cantuarienſi* à Sacris domeſticis.

Nov. 13. 1686.
Ex Ædibus
Lamb-hithanis.

Imprimatur,

Jo. Battely. R^mo. Pri. ac D^no, D^no. *Wilhelmo* Archiep. *Cantuarienſi* à Sacris domeſticis.

Nov. 13. 1686.
Ex Ædibus
Lamb-hithanis.

E. 15.5

Amoris Christiani MNHMONEYTIKON: SIVE CONCIO AD CLERUM,

Habita in Visitatione Metropoliticâ Ecclesiæ Cathedralis *Sarum.*

Jul. 12. Anno Domini, 1686.

AB

Edvardo Young, E. S. P.

LONDINI,

Typis *M. Flesher*, Impensis *C. Brome* ad Insigne Bombardi prope partem occidentalem Ecclesiæ Divi *Pauli.* 1686.

BIBL. CANT. CAS.

482.90

Reverendissimo
IN CHRISTO
Patri ac Domino,
Dom. *WILHELMO*
Providentiâ Divinâ
Cantuariensi Archiepiscopo,
Totius Angliæ
PRIMATI
ET
Metropolitano, *&c.*

MAndato Tuo, Reverendissime Pater, quàm Ego non tan-

tâ cum Arte, *quantâ cum* Promptitudine *sin obsecutus, Concionis istius tenuitas & penuria satis superque indicabit: Quæ tamen jam in lucem prodiens præfigi sibi ambit* Venerandum Nomen Tuum, *in Eo nimirum contemplans non modò honorem* Patrocinii, *sed & Vicem* Supplementi. *Siquidem* Amor *ille, quem hæc Concio, frigide licèt & in-*

inconcinnè, designat commendátque, idem est, quem Vita Tua *feliciùs exprimit,* Facundia Tua *suaviùs inculcat,* Auctoritas Tua *potentiùs asserit,* & Pietas Tua *Gregi Tibi commisso procurare Studiis, Precibus, Lachrymis, Vigiliis, Jejuniis dies noctésque contendit. Quin pergas, favente Deo, Reverendissime Pater, facere, ut facis;*

Dedicatio.

& Summo Munere Tuo dignissimè fungi, ut fungeris; & aliis tam Inopinantibus, quàm Immeritis Divinam Clementiam diu ulteriùs implorare, ut huc usque imploraſti: Nec in Precibus Tuis dedigneris, precor, Memor esse etiam & Mei, qui sum,

Reverendissime Pater,
Sacræ Paternitatis Tuæ
Humilis omnimodo,
Et devotus Cliens
E. Y.

S. Johan. 13. 34, 35.

Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ Μαθηταί ἐστε, ἐὰν Ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.

Cùm in hoc Venerabilium Virorum cœtu, quorum Ego è longinquo Infimus, contemplor memet eo muneris evectum,

vectum, ut verba facerem coram tam consummatâ Panegyri, subit animum referre me *Lampada* sive *Faculam* in Templo hoc (uti mos olim ferebat) pleno die accensam, & sub Solis meridiani radiis nictitantem: Cujusmodi quidem Faculæ *Lumen* non respexit Antiquitas, quippe quod à nobiliori absorptum ferè Nullum videbatur; respexit tamen *Symbolum*: Ita & Me Vos (Reverendi admodùm Patres Fratréique) respicite, Me veluti quandam *Amoris Faculam*; quæ ab *Amore* flammam suam quantulamcunque concepit,

pit, quæ *Amorem* ſpirat, *Amorem* quærit, *Amorem* oſtendit; & modò contingat mihi pios ſinceri animi affectus in Vobis aliquatenus poſſe accendere, nunquam pigebit me *Scientiæ Veſtræ* plenum diem, & fœtum jubar non potuiſſe illuminare.

Dominus noſter, benedictus in ſecula, volens unum præ omnibus, ſcilicèt ut Diſcipuli ſui ſe invicem diligerent, & alii aliis fidum Amorem præſtarent, eos (verbis prælectis) ſub hoc ſuave jugum Amoris cogere, & quaſi

quasi *Triplici funiculo* ducere instituit.

Primò, Nimirum obligat *Mandato*, Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

Secundò, Urget *Exemplo*, Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

Tertiò, Incitat contemplatione *Fructûs* insecuturi, Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ Μαθηταί ἐστε, ἐὰν Ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.

Et sanè provocanti ad Amorem opus erat *Mandato*,

to, siquidem Amare in *Lubrico* est, subinde dilabitur; opus erat *Exemplo*, siquidem Amare in *Obscuro* est, & fallit Imprudentes; opus erat *Incitamento*. siquidem Amare in *Arduo* est, & ab Ignavis nequaquam attingitur.

Inspiciamus igitur paululùm Amorem hunc hominis Christiani Indicem & Characterem, *quid sit*, *quid requirat*: & simul introspiciamus, ut ipsum animis nostris fortiter devinciat *Triplex* iste *Funiculus*; quem confirmabit adeò, & arctum tenebit (uti spero)

ro) Bonus Deus, ut nè unquam aliquando poſſit dirumpi.

Primò igitur, Præcipit Amorem Dominus, & Mandatum, quo præcipit, (ἐντολὴν καινὴν) *Novum Mandatum* vocat. Non quidem quia omninò *Novum* erat, ſed quia factum *de Novo Suum*, ſed quia promulgatione ſuâ ſæpius *Renovatum*, ſed & quia ſuccedentibus ſeculis in nomine ſuo uſque & uſque *Renovandum* erat; id nimirum rebus humanis, vel ex *Indolum* diverſitate, vel ex *Studiorum* diſcrepantiâ, certò

certò & indefinenter exigentibus.

Etsi enim Natura hominis ad Amorem vel ipsis Essentiæ principiis composita, & gravissimis Vitæ rationibus adstricta esse videatur; nimirùm quòd Amor longè omnium gratissima sit, amicissimáque homini Passio, *Serenum Animi*, *Sudum Corporis*, *Spirituum Temperies*, *Integri Harmonia*, & cui omnis opposita passio vix aliud est quàm *Perturbatio*, & *Supplicium*, & *Tabes* humani generis; etsi singulorum Defectus & Inopia uni-

universos in mutuum Subsidium requirant, & arctæ inter omnes Necessitudinis fundamentum struant; unde fit, ut communis omnium Ratio & Vota publica nihil priùs quàm Cordium nexus, Animarúmque amplexus efflagitent; etsi (inquam) Natura hominis prono hoc decursu in Amorem ferri videatur; ità tamen Hostes Naturæ, *Peccatum* & *Diabolus*, impedimentis obstruxerunt viam, ut rarus sit Amor iste, qui non titubet, qui non pessùm eat, qui non aliquâ piam ansâ arreptâ in fucum & fumum abeat.

Quàm

Quàm ſæpe nimia *Sui Adulatio* hominibus obrepens Amori rivos claudit, foràs ſcaturire non ſmit, totum in *Semet* erogat, facítque, ut propenſiones illæ animi, quæ dulceſcerent in *Fluvio*, puteſcant in *Stagno*? Quàm ſæpe ſuccreſcens *Invidia* Amoris *Integrum* deprædatur, facítque, ut qui alios amare non *velint*, Seipſos non *poſſint*, ſed viſcera ſua coarctando labefaciant? Quàm ſæpe vel *Beneficio obſtrictus* amare deſiſtit; ſcilicèt opprobrio ducens Beneficium agnoſcere, cui non

non ſit rependendo? Quàm ſæpe admiſſa *Suſpicio* voluntates exulcerat? Quàm ſæpe *Accepta Injuria*, imò verò quàm ſæpe etiam *Illata* diducit animos, & ratas familiaritates dirimit? quippe quia minùs iniquum videatur læſiſſe quos *Oderis*, quàm quos *Amare* te debere profiteris, nonnullis in morem abit *ſemper Odiſſe* illos, quos ſemel læſerunt.

Sed hæc recolo veluti Labes Plebis fæcíſque hominum, & quæ non attingunt *magna Ingenia*; licèt & his, proh dolor! non rarò maculam inurant Amoris

moris impediti dispendia.

Satis perspectum habemus, quid in animis alienandis possit *Diversitas Morum*, quæ cum *Ruffino* olim *Hieronymum* commisit: quid *Discrepantia Dogmatum*, quæ *Cypriani* & *Stephani* mansuetudinem fregit; quid *Partium Studium*, quod *Epiphanii* bilem in *Chrysostomum* civit; quid *Æmulatio Eruditionis*, quæ *Demetrium Origini* infestum reddidit; quid *Officium non præstitum*, quod *Gregorio Basilium* suum è sinu dimovit; quid *Prælatio Personarum*, quæ *Divis* etiàm

etiàm *Paulo* & *Barnabæ* (nefas dicere *Amicitiam*, at) ſaltem *Conſuetudinem* interrupit.

Magna Nomina in ſcenam produco, & ſpecioſas ſimul Apologias humanæ fragilitatis, & quàm Amare ſit in *Lubrico*, pleniſſima indicia; at verò *Excuſationem* prorſus Nullam; nempè ſtat contrà, & reclamat, Mandatum hoc Ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, & qui Fratri Amorem ſubduxit, Domino fefellit Fidem.

Miſelle Homuncio! Mandat Dominus, & habes Tu quod

quod reponas? Mandat Dominus, & habes Tu unde resistas? Manda iterùm, Clementissime Domine, ἐνεργῶς manda, & da non *posse* Resistere: Tu qui Mandato Tuo ex Informi Pulchra, ex Inani Solida, ex Nihilo Omnia produxisti; Tu qui Mandato Tuo aeris tumultus sedas, maris æstus componis, *Populi ferociam reprimis*, reprimas & *nostram* (siqua sit) Bone Deus, & nos in Amoris Suavitatem totos compone.

Secundò, Dominus Mandatum *Exemplo* munit, Ka-

Καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς· Amabitis Vos invicem, ſicut Ego Vos amavi.

Præceptum illud antiquitùs ſub Inſtitutione Moſaicâ, *Amabis proximum ſicut Teipſum*, *Sinceritati* quidem Amoris ſatìs proſpexit, *Juſtitiam* verò Muneris vix ſatìs indicavit: Quotus enim quiſque eſt mortalium, qui vel Amando alios ſicut ſeipſum, non tamen plurimùm deeſſet Officio? Non quòd multi ſint qui ſe non Amant, ſed quòd rari ſint, qui ſe amant *quemadmodum oporteat*: Amant ſe omnes, &

& quidem *Sincero*, at amant ſe *cæco* nimis & *imprudenti* affectu. Se amare credit ſe quiſpiam, dum ſe indulgendo palpat, dum ſe adulando inflat & incendit; præſtat hæc ſibi tanquam juſtiſſimi Amoris officia, & iiſdem Alios arbitratur fore quàm maximè promerendos; cùm tamen interim ipſa Perfidia nihil habeat mortalibus propinandum hiſce officiis inſidioſius. *Peccantem* autem in Amore ſui amare Alios eâdem lege, quid aliud eſt, niſi *latiùs peccare?*

Con-

Consultissimâ igitur ratione mutatus est Præcepti Tenor, & inducta simul præstandi muneris & Norma excellentior, & expressius Documentum. Nimirùm dehinc, Christiane, *Amabis Proximum*, non sicut *Tu Temet*, ne sic forsitan *Decipiat exemplar vitiis imitabile*, sed *sicut Te Christus*; ad cujus Amoris absoluti Speculum totus humanorum Affectuum componendus est Ordo, Nævi corrigendi, supplendi Defectus.

Videamus igitur, *ut Christus amaverit*; quo *Delectu*

lectu quâ *Mensurâ*, cui *Fini.*

Quo *delectu*, inquam, amaverit? At amavit sanè *Nullo*, qui *Omnes* amavit; & sic autem Christus: *Primos* etenim uti non præteriit, ità vel *Infimos* non despexit, quin *Universos* in pronam conjunctionem suscepit. Amavit *Pusillos*, amavit *Indignos*, amavit *Ingratos*; quod ne *dubites*, Anima mea, dicas, Amavit & *Me.*

Habes & Tu, Homo, quos amas (non diffiteor) sed quàm *delicato*, quàm

iniquo, quàm *astuto* plerumque delectu ? Seligis tibi in Amorem Magnos & Potentes, Opulentos & Beneficos, Lepidos, Comes, & Facetos ; & in istiusmodi colendis adulandísque credis te amandi officio feciſſe ſatìs : At profecto non hoc Amare eſt ſed captare *Munera*, aucupari *Beneficia*, vitæ *Solatia* quærere & *Condimenta*; Non *Virtus* eſt Amor *iſte*, non Boni viri officium, non Divini Exemplaris imitatio ; nihil aliud eſt, niſi connatæ omnibus propenſionis effuſio, verſutíque inſupèr pectoris eſca & artificium.

Vis

Vis nôſſe, Diſcipule, quod imitari debeas? Amavit Dominus *Indigos* & *Deſtitutos*, nimirum ſatis ad Amorem obligat poſſe *adjuvari*; Amavit ille *Incurios* & *Immerentes*, nimirùm ſatis ad Amorem obligat poſſe *ſanari*; amavit demùm *Immorigeros* & *Refragantes*, nimirùm ſatis ad Amorem obligat poſſe aliquandò *corrigi*: Nec aliis ſanè unquam Lenociniis Chriſti amor humano generi ſtetit.

Unicam igitur homo Chriſtianus contemplari debet Amandi Rationem,

hancce nimirùm, quòd *Officii* ſui ſit Amare, & quòd ſibi pro munere incumbat affectus ſuos ad *Amoris Archetypum* effingere: Et hæcce quidem Ratio ejuſmodi eſt, ut ſe ad omnes quaquaversùm diligendos facilè extendat: qui verò *aliarum Rationum* momentis Amorem ſuum ſuſpendit, qui *Cautus* eſt Amandi, nec eo procedit niſi certis de cauſis, & ſuopte ingenio approbandis; cujus Amor vel *Studio factioſus* proſilit ad partes, vel ex *Levitate dubius* deſilit ad novas; næ Is profectò non amat ullatenus, ſed Amoris

moris operam ludit, oleum perdit, Larvâ decipitur.

Amavit Dominus *Æquabilis* & *Conſtans*, *Amavit in Finem*, inquit Evangeliſta: Tu verò quicunque ex more Hominum *mutaris* & *fluctuas*; animi incertus, corde non unus; qui modò occurris in *Amplexus*, modò recedis in *Dicteria*; aliquos intuitu *Conſcientiæ* diligis, aliquos intuitu *Gloriæ* contemnis; Aliorum bono *conſulis*, aliorum *invides*; Aliorum damno *ingemiſcis*, aliorum *inſultas*; huic *ſtipem* porrigis, illi *famam* detrahis;

isti tendis Decipulam, alteri extricas pedem; Quid sibi vult hæc tam *dissona* ratio agendi? Morum Incongruitas ista, & cordis Duplicitas quò tendunt? *Unum* hominem Te præsta, quantum potes, Bone Vir, & vel *Sapias* totus, vel totus *Desipe*; siquidem *desipere* quidem *dulce* est, uti sapere *glorioſum*; At qui verò alterum alteri intermiscet, is utriusque commendationem deperdit.

Domini nostri (hoc est, *Amoris Incarnati*) vitam volens uno ductu delineare Divus Petrus, *Obambulavit*, in-

inquit, *benefaciendo*: Obambulavit benefaciendo, ſic Apoſtolus; & ſimul Amoris *Finem* ſive *Metam* indigitat. Sacram Scintillam nullatenus experti ſunt, qui quærunt in Amore quod *proſit*, & quod *placeat*, qui *nundinant* affectus, & officia *cauponantur*; Amor Divina res eſt, cujus *Meta* omnis, etiam & *Merces* eſt *benefacere*. Ità ſanè Chriſtus amavit, cùm ſe ſuis *totum* devovit; cùm Amorem ſuum gratuitâ benignitate continuò refocillans, dilexit indefeſſus per Curas & Vigilias, per Opera & Conatus, per quaſvis

vitæ Exinanitiones ad Mortis uſque Contemptum. Nec minùs Tibi (Diſcipule) Mors, Vita, Damnum, Lucrum, Otium, Turbæ, Fama, Dedecus, Omnia ſuſque deque habenda ſunt, ut poſſis gnaviter benefacere. Iſtud verò Tibi nimis difficile factu videtur? At minùs ſanè videbitur reputanti Tecum, *hoc ipſum Benefacere* eſſe vel famâ pulchrius, otio pacatius, lucro lucroſius, vitâ vitalius; & ſuffulcienti Tibi animum hac Contemplatione, ſcilicet, ſatis Illum feliciter negotiari, quiſquis perituri prodigus æterna

ſibi

ſibi cumulat in mercedem.

At quorſum hi *Labores* Amoris ſuſcepti? quorſum hæc tam oneroſa Molimina? Iſtíne hominis ignobiliori portiunculæ, quam *oculis cernimus, & digitis palpamus*, officiis hiſce famulandum arbitramur? Profecto Tanti non eſt. *Anima cujuſque eſt quiſque*, nec aliud ſanè Amare eſt quàm *Animas deperire*. Quid enim aliud eſſe poteſt? Nunquid congredi, confabulari, corridere? At faciunt hæc iſti, qui Amare non *curant*: Nunquid miſcere conſilia, ſtudia, de-

delectamenta ? at faciunt hæc *Mali*, qui Amare non *possunt*: Nunquid Aurum, & Opes, & Rura conferre? Conferant ista qui habent, at Amant verò qui non habent *conferenda*. Omnium autem officium penes est omnes; & quid tum demùm est Amare, nisi Animas deperire ? Animas Immortales, Pulchras, Deiformes ad Salutem procare, & veluti Cœlites erraticos in Patriam dirigere, *Hic labor, hoc opus est Amantium.* Ita Dominus noster Turbam, quam non nisi semel iterúmque Panibus refecit, indiès accepit

Ani-

Animarum Convivio: Exemplo docens (refragante licèt existimatione vulgi) è Beneficiis minima esse ista, quæ poterunt in *Saginam* verti, in *Peculium* referri, in *Pompam* trahi; ista verò primas tenere, quæ curandis affectibus, & bonæ menti astruendæ inserviunt.

Amare quidem (fateor) Avarus non potest, quoniam ad Animas procandas vix datur *admitti*, nisi cura Corporum quodammodo *ancilletur*: at Amare nec potest Malus, quoniam *Animas negligenti* omnis cura

ra Corporum periit & excidit mercede: Offam & Obolum perdit, quicunque ſanum Conſilium, & ſalutare Exemplum non impendit. Amare igitur non niſi Boni viri probíque officium eſt. *Amor* & *Probitas* Gemelli individui; neuter ſine altero naſcitur, neuter ſine altero creſcit: Deſine Amare, & Probus eſſe non poteris; deſine Probus eſſe, & Amare neſcies; nimirùm diſcinctus animus faſtidiet repentè potiſſimas benè merendi rationes, & veluti ſuccisâ radice fructus omnis Officiorum exareſcet.

Repe-

Reperias ſanè apud minùs Probos non injucunda Conſortia, & placidas brevis ævi familiaritates; ſed ut malè fundatas, & vix ſine Criminum Conſcientia fotas, ità in Tædium ſæpenumerò & Contemptum exeuntes; Amor verò, ut radius Solaris, cœlo ortus in Cœlum reſilit, ad Cœlum ducit; Et nihil faciens unquam quod noceat, & id credens maximè omnium nocere quod polluat, amplectitur quos amat ſolatio indiès *auctiori*, & æternis ſimul amplexibus præmunit viam.

En

En *Finem* Amoris Curis quibuſcunque & Conatibus dignum, nempe Animarum Salutem !

Ut verò Amare poſſit quiſpiam cum *effectu*, non *Voluntate* ſolâ, ſed etiam & *Arte* opus eſt. Ità Dominus noſter lucrandis Animis, & ad frugem perducendis ſe accingens, *Diſcite à Me*, inquit, *ſiquidem Ego Manſuetus:* Hæc eſt Ars illa omnium feliciſſima, Ars una inſtar omnium Animis irretiendis & lucrandis nata, ſcilicèt *Manſuetudo.*

Novi-

Novimus, ut contingat aliquando Vinum generosum Cadi vitio corrumpi; nec contingit rariùs præcipua Amoris Officia ipsâ Præstantium intemperie vitiari. Quàm sæpe hortatur aliquis, & hortando nihil promovet? Monet, & monendo in pejus proritat? Largitur, & largiendo devincit sibi neminem? Sic evenit nimirùm, nec aliter evenire potest, quoties obeundo muneri vel Fastus, vel Acerbitas obeuntis se admiscet. Velis igitur bonum benè agere, & optimo munere non infeliciter fungi?

fungi? *Manſuetus Ames*; & memineris Amorem cum *Iratis* minimè habitare poſſe, minimè cum *Superbis*. At ſuggeres forſitan contemptum Deum, ſpretam Fidem, dehoneſtatam Religionem, violata Jura; & Iraſcor, inquies, non *Perſonis*, ſed *Vitiis*, & Zeli perquam Chriſtiani ardore commotus indignor: Ità ſanè plerique ſub ſpeciosâ hac Umbellâ palpant & fovent ebullientis animi Amaritudinem; & dehinc *ſpargere* Voces, referre Opprobria, propalare Crimina, & facere *Quod Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.*

Itáne

Itáne verò Zelotes, itáne in Causâ Dei Deus ipſe olim aliquandò excanduit? Converſatus Ille inter Homines, cui pectus omne quaſi feneſtratum erat & Cryſtallinum, quot Delicta continuò vidit, & tamen *Tacuit*? Quot murmura Convitiatorum, quot Incredulorum contemptus, quot Credentium lapſus & prævaricationes omni momento perſpexit, & tamen *præteriit*? *Proditorem ipſum* non prodidit, tam importunam Malitiam (ſi poſſibile fuiſſet) importuniori Lenitate fracturus.

Quàm

Quàm ſemper Ille objurgando mitis? quàm facilis condonando? Peccatorum quidem nunquam iniquus Fautor, at nunquam non Leniſſimus Judex; Malum fieri nunquam permiſit, factum tamen multotiès diſſimulavit: Expectans ſcilicèt tempora Amoris operi *ſecundiora*; & probè gnarus Pravitatem hominum, veluti *Flammam*, *tegendo* plerumque extingui, *Retectam* verò ſæpiſſime dilatari in *Incendium*.

Vidimus (aliquo ſaltem modo) ut Dominus noſter amaverit; Tu, qui Diſcipu-

pulus es, *fac similiter*; ità enim denuò (aliter verò nunquam) pro Discipulo agnoscêre. Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ Μαθηταί ἐστε, ἐὰν Ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.

Discipulus Christi! quàm nobilis, quàm beata Relatio? quàm supra Principum Titulos expetenda? quâ Principum vel Maximi carere sine Invidiâ non possunt; Cujus unius honesta, & laudabilis, & nunquam pœnitenda Ambitio est. At verò ad istius Tituli gloriam absque Amoris ductu cassò opere contenditur:

Amor

Amor autem ubi primùm radices egerit, germinant exindè conſpicua Diſcipulatûs Indicia ; *Primò* nimirùm ſingularis in omni Virtute Profectus; *Secundò* etiam ſingulare Divini favoris Præſidium.

Et ſingularis planè admodum eſt is in omni Virtute Profectus, ad quem Amor homines vi ſibimet inſitâ provecturus eſt; eâ quidem ratione ab Apoſtolo *Impletio Legis*, & *Vinculum Perfectionis* appellatus. Eo Duce, mirum quanto *Compendio* eatur ad Cœlum. Cùm aquis *Jericho*

cho priùs amarulentis mederetur Propheta *Elizæus*, fontem condiebat inſperſo *Sale*, & exindè fluvii perpetuò dulceſcebant: Pari ritu, pari miraculo Amor Condimentum Fontis, Dulcoratio Cordis, Antidotum Amaritudinis; quo quicunque ſemel eſt imbutus, nihil aliud poſtmodùm emittit, niſi quod Saporis ſit & Deo ſimul & hominibus gratiſſimi. Quàm pulchrâ Gratiarum Coronâ Amor uſque comitatus incedit? quantâ Patientiâ inſtructus rogare & obteſtari? quantâ Fortitudine ferre & facere? quantâ Libe-

Liberalitate impendere & impendi? quantâ Pietate in Deum, Ejus intuitu præstare officia, quæ humana Ratio minimè suaderet præstanda? At verò turbare, rixari, offendere, pervicacem se aut petulantem, aut immorigerum præbere Amor non novit magìs, quàm Flamma descendere, aut Radius inquinari. Verbo dicam; Amor ipsa (quod aiunt) *Forma* est Christiani hominis, & *Constituit* eum, & *Distinguit*; facit talem, qualem Christus voluit, & qualem nihil aliud facit: Poterit Scientia Officio deesse; poterit

rit Zelus à Scopo aberrare; poterit Spes ipsa Sperato excidere; at nihil horum Amor; Novit, exequitur, assequitur omnia. Et assequitur quidem unum in Præsenti, quod omnium instar est, nimirùm singulare & certissimum Divini favoris Præsidium.

Quàm feliciter crevit Sacro-sancta Christi Familia, quàm athleticâ constitutione viguit, quàm latè propagavit venerationem suam, hostibus invidentibus, & frendente Diabolo, dum adhuc (uti refert Apes illa Afra *Tertullianus*) Gentilis

tilis Gentilem monebat indigitando, *Ut Amant ſe invicem hi Chriſtiani!* Tum ſine Viribus Exercituum, ſine Artificiis Peritorum, ſine Partium Conjurationibus quibuſcunque imperium extendebat Religio, ſolo Divini Patrisfamilias præſidio ſtipata: Ubi primùm autem triſtiori Fidelium fato, opibus jam intumentium & ſuperbiâ diſtractorum, eò deventum erat, ut non ſine hoſtium ſubſannatione indigitari potuiſſet, *Ut Armant ſe invicem hi Chriſtiani!* Exhinc omnia *In pejus ruere, & retrò ſublapſa referri:*

Et

Et quis ſanè judicaret debuiſſe aliter *Famulis* evenire *Domini* Mandato, Voto, Obteſtationi Appetitus ſuos & Artificia præferentibus? Viſio Divi *Johannis* Apocalyptica Chriſtiano Orbi maturè notatum voluit infauſtum Omen excidii Eccleſiæ *Epheſinæ* ingruentis ex eo natum eſſe, nimirùm *quòd ab Amore ſuo primitùs concepto paulatìm deſciviſſet*. At nemóne eſt verò, qui Huic etiamnùm noſtræ malè ominatur, & neſcio quid diri animo ſuo portendit? Nemóne eſt, qui ſubmurmurat juratos hoſtes, meditatam

tam ſubverſionem, ruinam intentatam *Piiſſimæ Matri Eccleſiæ Anglicanæ*? Sin autem ità res ſeſe habeat, quo tandem modo defendendam Religionem, quonam Aras propugnandas arbitramini? Litemus ſanè Deo *ſepoſitis diſcordiis*; Amemus alii alios *non fictis affectibus*. Non aliis Artibus, aut Conſiliis, non aliis Præſidiis, aut Stipatoribus eſt opus: Didicimus enim probè tùm ex hominum Singulorum, tùm ex communis Eccleſiæ certiſſimis in utramque partem experimentis, Nudum Amorem eſſe optimum Satelli-

tellitium : Eóque ſemel (bono cum Deo) muniti Catervas Malignantium aut promerebimur, aut devincemus, aut (quod non minùs glorioſum eſt) vel *Victi Triumphabimus.*

Tu autem, Domine Miſericors, qui Neceſſitates, Vanitates, Lapſus, Omnia fragilis noſtræ carnis habes intimè perſpecta, reſpice Nos clementer, & da *Timere*, da *Reſipiſcere*, da denuò quod primùm jubes, da *Amare.*

FINIS.